



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Franciscus Senensis. 30. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

SS. MARIANUS & JACOBUS MM.

30. Aprilis.

Anus ducentesimus sexagesimus secundus, par nobile Martyrum habuit: **MARIANVS** alter, alter **JACOBVS** fuit. Et illum quidem pollice suspensum pondera talis annexa tentissimis nervis ad imam retrahebant; sed ad carceres reducti, animus in Cælum abiit, æterni convivii promulside recreandus, quam in pulcherrimum inducto triclinium, **S. Cyprianus** propinavit, haud gravatè pro unâ illius guttulâ omnem sanguinem dатuro. **JACOBVM** interea proprio Martyrum baltheo Angelus cinctus. Ita hic robur suum induit, alter bibit. Nec multò post novus cælo nuntius mittitur de venustioribus ephesis, qui seruo vice torquis induitus, & palmam ventilans (nam & ipse nuper unâ cum matre & gemello trucidatus fuerat) **MARIANVM** & **JACOBVM** ad martyrum condicere convivium jubet. Nec illi tam lautas epulas aspernari, aut morari diutius ausi, posterā die dederunt symbolum ambo capite plexi. Nihilominus equites toto diffusi cælo malum minari carnificibus visi, qui tam candida innocentiae lilia demessuissent. *Ex Surio.*

Dies noster ultimus certissimum est, nobis quod veniat; incertissimum est, quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat: nisi quod senibus est in januis, qui juvenibus est in insidiis. Guerr. ser. 3. de Advent.

B. FRANCISCUS SENENSIS. 30. April.

Etiam **FRANCISCVM** viderunt Senæ libertatem mundi repudiare, & servis **VIRGINIS** accedere. Quanquam non tunc primùm transit in

servitutem VIRGINIS ; natus in hanc est. Siquidem mater FRANCISCO plena lily sibi parere elvisa , ex quo alia atque alia pullularent , quibus MATREM VIRGINEM coronaret. Videbatur deinde, nescio quis , Pontificiâ majestate insignis sceptro uterum tangere, spondereque, lili, quod ferret, candori nihil obfuturas mundi spinas. FRANCISCVS deniq; Iustrico fonti admotus plus quam pueriliter exultare est viuis, oculosque suos in iam tunc suum ocellum, MARIA iconem defigere. Jam pueritiam ingressus , quotidie quingenties A DOMINAE suæ dixit, orationi extra tempora Muis dicata tam deditus , ut non in domo paternâ sed templis habitaret. Asellum (ita quam nos ad instar catelli Melitensis habemus, carnem appellabat) saxo & flagris exercebat. Pro concione omnium animos incendebat, ut fidem habeam virginibus, quæ volantem supra dicentis caput igneum globum se vidisse affirmarunt. Adversus obrectatores opem flagitanti PATRONA VIRGO auditum abstulit, ut surdis auribus præteriret calumniantes. Sub mortem ante dicentis vultum Angeli librum explicarunt. Librum vitæ credidero fuisse, & in illo FRANCISCVM nomen suum legisse ; tam hilans post obiit, & quidem die, quo Christo cælum patuit. Ex demortui ore lily ajunt natum esse, scilicet ut vobis, Sodales , pietatis in VIRGINEM men esset. Ex Bzovio to. 13. Ann. Eccl.

Imitare minutissimas aves, mane & vesperi Creatri gratias referendo. Et si es devotior, imitare Lusiniam, cui quoniam ad dicendum laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia per vigili cantilenâ decurrit.
S. Max. serm. de Carn. host. non timend.